



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

11. Sacra Congregatio &c. Decretum quo tria opuscula in Gallis adversùs
Apostolicam Constitutionem Unigenitus evulgata proscribuntur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1711.

Gaspar Buhon Procurator Provinciae Lugdunenensis:
 Balthasar Vveiman Rheni Inferioris Procurator.
 Gavinus Silvester Lecca Procurator Sardiniae.
 Joannes de Bruyn Procurator Flandrobelgij.
 Franciscus Rescalli Procurator Austriae.
 Joannes Capeta Procurator Bohemiae.
 Dominicus Viva Procurator Neapolitanæ.
 Joannes Baptista de Fourmeftaux Procurator Gallobelgicae.
 Antonius Franciscus Joseph Provana Procurator Sinenfis.

BEATISSIME PATER.

TAm iustis, tam gravibus, ac necessariis PP. Procuratorum Postulatis obsecundans Præpositus Generalis Societatis Jesu ad Sanctitatis Vestrae pedes humilimè provolutus, quocumque optimo, ac certissimo modo potest, cum omni asservatione, ac sinceritate suo, ac totius Societatis nomine profitetur, ac declarat Sanctitati Vestrae, & Sanctæ Sedi Apostolicæ, constantissimum obsequium, reverentissimam submissionem, & obedientiam cæcam, in amplectendis, & exequendis quæcumque per eandem Sanctam Sedem decreta fuerint, & imperata; iisque potissimum, quæ circa Sinicos ritus edita sunt, tum anno 1704. die 20. Novembris, tum anno 1710. die 25. Septembris. Quæ quidem Decreta, etiam prout à Sanctitate Vestra explicata, & exposita fuerunt in Literis Sanctitatis Vestrae nomine eidem Præposito Generali scriptis ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Assessore S. Officij sub die 11. Octobris anno 1710. inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris, & pœnis ibidem expressis, sine ulla contradictione, tergiversatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæsito colore, aut prætextu penitus sublato, sibi adamussim observanda, & exequenda sponte, & ultrò admittit, & amplectitur Societas. Univerfa, Testatur autem idem Præpositus Generalis hanc esse vocem, hoc votum, hunc spiritum, Societatis Univerfae, hunc, & futurum esse: sicut proculdubio semper fuit.

Quod si quis nihilominus è nostris esset ubicumque terrarum (quod avertant Superi) qui aliter sentiret, & loqueretur, aut locuturus esset: nam id omnino prævenire, aut impedire nulla satis potest humana prudentia, in tantâ Subditorum multitudine: declarat, asserit, ac profitetur Præpositus Generalis nomine totius Societatis, se jam nunc illum reprobare, repudiare; ac meritâ castigandum pœnâ, neque agnoscendum pro vero, & genuino filio Societatis: Illum tanquam degenerem, & non suum, habeat, ubi tales semper habuit, & modo habet Societas, & quantum poterit, semper compefcet, comprimet, & conteret.

Ea mens, hoc propositum, ea contestatio, Societatis est, quam ejus totius nomine deponit ad Sanctissimos Pedes Beatitudinis Vestrae Præpositus ipsius Generalis; ut inde per universam disseminetur, ac spargatur Ecclesiam, Quod si ad exprimendam efficacius Societatis in hac protestatione mentem, inveniri verba possent clariora, & magis significantia, aut formulæ magis distinctæ, disertæque ad obstruendum omnem cavillationibus, & finistris interpretationibus aditum; intendit, optat vult Præpositus Generalis, ut ea, quæ in hoc Scripto adhibet, verba vim omnem aliorum quorumcumque magis idoneorum habeant: fateturque sibi non occurrere ulla meliora, & apertiora, quibus veram, & sinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex Domo Professâ Romanâ die 20. Nov. 1711.
 Ita fatetur, & protestatur.

Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis
 Idem verò Sanctissimus Dominus Noster supradictos Patres Præpositum Generalem, necnon Assistentes Nationum, ac Procuratores Provinciarum ejusdem Societatis, quam Sanctitas Sua in visceribus gerit paternæ suæ Charitatis, benigne, excepit: oblatamque sibi Declarationem præmissam Typis mandari, ac per vulgari posse permisit.

DECRETUM

Quo tria Opuscula in Galliis adversus Apostolicam Constitutionem Unigenitus evulgata proscrubuntur.

Feria 4. die 2. Maji 1714.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendis. Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum habita in Conventu S. Mariæ super Minervam: Auditis Censuris plurium Theologorum deputatorum ad examen infrascriptorum Foliorum Gallico idiomate nuper editorum: Ipsisque Censuris Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ XI. relatis unâ cum eorumdem Dominorum Cardinalium votis, de mandato Sanctitatis Suæ præsentî Decreto prohibet, & damnat eadem Folia.

Primum scilicet sub titulo: *Lettre Pastorale, & Mandement de Monseigneur l'Evêque de Boulogne au sujet de la Constitution de Notre Saint Pere le Pape du 8. Septembre 1713.*: quod incipit: *Pierre &c. Ce qui s'est passé &c.* & definit: *Donné à Boulogne le 12. Mars 1714.* tanquam, ut minimum, captiosum, scandalosum, temerarium, Sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosum, redolens schisma, & in illud inducens, erroneum & sapiens hæresim.

Secundum sub titulo: *Lettre Pastorale, & Mandement de Monseigneur l'Illustrissime, & Reverendissime Evêque Comte de Chalons, Pair de France au sujet de la Constitution de Notre S. Pere le Pape du 8. Septembre 1713.*: quod incipit: *Gaston, &c. L'interêt, que vous avez pris: & definit: Donné à Chalons, &c. le quinziesme de Mars. 1714.* tanquam ut minimum, captiosum, scandalosum, temerarium, Sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosum, redolens schisma, & in illud inducens, erroneum, & sapiens hæresim.

Tertium demum sub titulo: *Lettre Pastorale, ou Mandement de Monseigneur l'Evêque de Bayonne au sujet de la Constitution de Notre Saint Pere le Pape du 8. Septembre 1713.*: quod incipit: *André &c. Des incommoditez: & definit: Donné à Bayonne &c. ce 22. Mars 1714.*: tanquam, ut minimum, captiosum, scandalosum, temerarium, & Sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosum.

Hæc itaque Folia sic prohibita, & damnata per idem Decretum, eadem Sacra Congregatio, de mandato, ut supra, vetat, ne quis cujuscumque sit status, & conditionis, quocumque loco, idioma, & versione impressa, vel imprimenda audeat ullo modo, & sub quocumque prætextu iterum imprimere, vel imprimi facere, neque impressa apud se retinere, & legere licite valeat; Sed ipsa Ordinariis Locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim, & cum effectu tradere, & consignare teneatur sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Die 5. Maji 1714.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Die 5. Maji 1714. supradictum Decretum affirmatum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii Sancti Officij, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Periniam Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

EDICTUM

1714.

xi.